



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Adolescentes, Juvenes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

quòd in virtute à novitiatu creveris? vel an multum est, te in primo fervore perseverâsse? & an non pessimum, nec ullatenus coram Deo excusabile, ab eo te descivisse?

*Adolescentes, Juvenes,*

**F**ili, à juventute excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Eccl. 6. Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens, simul & quarens. In medio magnatorum non presumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris. Eccl. 32. Benè observanda hæc homini juniori documenta, qui se se doctum, ingeniosum esse putat, & ad fastidium prudentiorum loquaculus est. Cùm esset junior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere. Tob. 1. Hæc magna laus adolescentis: Fili sine consilio nihil facies. Eccl. 32. Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. 8. Hinc & adolescentis & ejus gubernatori contra nitendum. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Pl. 118. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in caelo, viam colubri super petram, & viam maris in medio mari, & viam viri in adolescentia sua. Prov. 30. Hoc quidem in sensu mystico applicatur Christo, sed in sensu literali verum est de quolibet adolescente utriusque sexûs. Et hinc ora Deum sæpè, ut tuæ curæ commissos præservet ab

ab occasionibus, in quibus prævidit eos fore infelices: & pete, ut iis det gratiam congruam perveniendi ad statum, in quo salvabuntur. Reflecte etiam ad pericula, in quibus tu ipse in tali ætate fuisti, & age Deo gratias; quod in & à tam multis adhuc sis præservatus.

*Puella.*

**T**U scis Domine, (ajebat Sara) quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus (lascivè) miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensu suscipere. Tob. 3. Felix puella, quæ idem coram Deo contestari potest. Hac fuit iniquitas Sodoma, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus. Ezech. 16. Hoc adhuc multas facit puellas lascivas.

*Mulieres.*

**Q**ui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino. Prov. 18. Inveni amariorum morte mulierem, qua laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa. Ecce hoc inveni unum (scilicet, quod jam dixi de illecebris mulierum) & alterum, ut invenirem rationem (cur scilicet difficilius sit probam & prudentem